



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

31 Matrimonium qui contrahere legitime possint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

tur, *cap. sicut desponsal.* quia, quando terminus adjicitur sponsalibus ad limitandam obligationem, & ad eam retrin-gendam ita, ut elapso tempore expiret, tunc exinguitur obligatio. *l. si fidejussor. §. final. ff. mand. l. obligationum fere. §. 1. ff. de actio & oblig. l. damni, §. Sabini, ff. de dam. insect. gl. in d. c. sicut. in verb. ad statutum, & ibi Abb. num. 11.*

Per ingressum religionis, professione secuta, sponsalia per verba de futuro solvuntur, quo casu solvitur etiam matrimonium solemnizatum, & non consummatum. *cap. commissum, de sponsal. cap. ex publico, & c. ex parte de convers. conjug. & concil. Trid. can. 6. de sacr. matr. sess. 24. propter lepram, vel deformitatem corporis supervenientem, cap. quemadmodum, de jurejur. & cap. litteras. de conjug. leprof.*

Dissolvuntur etiam sponsalia per verba de futuro, copula non subsecuta, per supervenientem copulam cum ea, quæ sponsæ est in primo, vel secundo gradu consanguinitatis conjuncta, conc. Trid. in c. 4. de resor. matr. sess. 24. Pius V. in litteris, de quibus in Bull. Rom. cap. 24. & sacra congreg. conc. super eod. cap. 4. §. quidam contraxerat, & pluribus aliis casibus, sequentibus versibus comprehensis. Lepra superveniens, furor, ordo, sanguis, & absens. Lætaq; virginitas, membri damnum, minor ætas. Et hæc lapsus, fideique remissio proæfus, Spon-sos dissociant, & vota futura retractant, gloss. fin. in d. cap. sic quippe. 27. quest. 2.

31 Puberes matrimonium † legitime contrahere possunt, & ad matrimonium contrahendum requiritur plena puber-

tas, & quod in masculo annus decimus-quartus, & in foemina duodecimus sit completus, vel saltem ultimus dies anni fuerit cœptus. *Corn. conf. 116. col. 2. in princip. vol. 3. Dec. confil. 603. num. 4. & post Hist. lo. And. & Burr. quos citat, Surd. conf. 364. num. 1. lib. 3.* Nam de jure antiquo matrimonium erat validum inter proximos pubertati, si malitia supplebat ætatem, ut coire possent, *cap. puberes, & cap. de illis 2. de despons. impube. instit. de nupt. in princ. & ibi add. ad gloss. in verb. puberes. Bar in l. pupillari in fin. ff. de vulg. & pup. subst. & Bald. in l. precibus. C. de impub. & al. substit.*

Plures enim dantur † casus, quibus impuberes liberos procrearunt. S. Hieron. ep. 75. ad Ditamum refert, quod Salomon, & Acham in undecimo ætatis anno liberos procrearunt, & narrat S. Greg. in suo dialogo de quodam puero, qui in novennio nutricem prægnantem reddidit, ut refert gloss. in cap. 1. quest. 1. & Abb. in cap. puberes, num. 3. de spons. impub. Qui enim generare potest impubes, ad matrimonium contrahendum pro pubere habetur, & si intra tempora pubertatis filios suscepit, pupillaris substitutio evanescit, *Bar. in d. l. in pupillari, n. 8.* & quod ad vinculum ante copulam matrimonium legitime contractum, est perfectum, & sanctum, ex sanctitate Sacramenti, † ut fuit inter Beatam Mariam, & Joseph. *cap. beata, & c. conjux. cum seqq. 27. quest. 2.* Et est Sacramentum à Deo institutum, quod dissolvi non potest ex supradeductis, gratiamq; confert, *Ab. in cap. cum in Ecclesia, num. 2. de simon. qui verò matrimonium gratiam conferre negat anathematis poenam incurrit, concil. Trident.*

Trident.